

J d
5449



M. Re

H
I

Gy

W

Jo

☼☼



23.

Orthodoxa

EXPLICATIO

v. 7. Cap. LII. Esaiaë

una

cum brevisima Doctrinae

DE

EVANGELIO INDEFLUENTIS DEDUCTIONE

In

Gymnasio Saxo-Hennebergiaco Schleufin-
genfi ad diem XVII. Martii M. DC. XCVII.

horis locoq; consuetis

publice ventilanda

subjicitur

PRÆSIDE

Friedrich Ernst Meis/ Pastore,

Superint. & Gymnasii Ephoro

RESPONDENTE

JOHANNE SALOMONE WEBERO, Virnaviensi

Communitatis Alumno,



Ex Chalcographo GÖBELL.



3d 5449

181904



Verba in fontibus sunt haec:

מה נאמן על ההרים הגלילי מבשר משמיע עליו
מבשר טוב משמיע ישועה אמר לציון מלך אלהיה:

Paraphr. Chald.

מה יאמן על סורי ארעא דישראל רגלי מבשר משמיע
שלם מבשר טוב משמיע פורקן אמר לכנשתא דציון
לאתגליא ת מלכותא דאלהיה:

LXX. Interpp.

ὡς ὄρη τῶν ὄρεων ὡς πόδες εὐαγγελιζομένης ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγ-
γελιζομένης ἀγαθῶν, ὅτι ἀκυσὴν ποιήσω τὴν σωτηρίαν σε λέγων Σιών
βασιλεύσει σε ὁ θεός.

Ἀκύλας.

Τι ὠραώθησαν ἐπὶ τῶν ὄρη πόδες εὐαγγελιζομένης, ἀκυσίζοντες εἰρήνην,
εὐαγγελιζομένης ἀγαθῶν, ἀκυσίζοντες σωτηρίαν, λέγοντες ἐν Σιών, ἐβα-
σίλευσεν ὁ θεός σε.

Symon:

Τί εὐπρεπῆς ἐπὶ τῶν ὄρεων πόδες εὐαγγελιζομένης, ἀκυσὴν ποιῶντες
εἰρήνην, εὐαγγελιζομένης ἀγαθῶν, ἀκυσὴν ποιῶντες σωτηρίαν λέγοντες τῇ
Σιών, ἐβασιλεύσει ὁ θεός σε.

Arias Mont:

Quam decori sunt super montes pedes Evangelizantis, audire facientis
pacem, evangelizantis bonum, audire facientis salutem: dicentis ad Sion, regna-
vit Deus tuus.

Junius & Tremell:

Quam decentes sunt super istos montes pedes evangelizantis, pronuncian-
tis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem: dicentis Tzijoni, regnat
Deus tuus.

Angl. Versio:

How beautiful upon the mountains are the feet of him that bringeth good
tidings, that publisheth peace, that bringeth good tidings of good, that publi-
sheth salvation, that saith unto Zion, Thy God reigneth.

B. Luther:

Wie lieblich sind auf den Bergen die Füße der Boten / die da Friede verkün-
digen / Guts predigen / Heyl verkündigen / die da sagen zu Zion / dein Gott ist
König.

Versio Tiguri An. 1542. excusa.

En wie schön werdend die Fuß des Evangelisten / der vom Berg die Bots-
schafft bringt / und den Frieden ankündt: Der die guten Mær bringt / und das
Heyl prediget / und Zion sagt / dein Gott ist König.

Piscator.

Wie lieblich sind auf den Bergen die Füße der Verkündiger / deren die Fri-
den predigen / deren die Guts verkündigen / deren die Hail predigen / denen die
da sagen zu Zion / dein Gott regieret?

Cum

10471c 1042



Cum DEO!

Sectio I. Exegetica.

§. 1.



Corpus omnium primum investigandum ex antecedentium collatione apparebit. Nimir. Propheta cap. 51. nomine Messiae novam incipit orationem consolatoriam ad Novum Testamentum pertinentem, in qua semen Israel dubitans an ex tam exiguo coetu Ecclesia colligi possit, consolatione erigitur, duæque ejus constituuntur partes explicatio & applicatio. In illa triplex exhortatio consolatoria juxta triplex obiectum (α) respiscentes v. 1. 2. 3. (β) eosdem conversos, v. 4. 5. 6. (γ) ostendentes justitiam Christi susceptam publice v. 7. 8. adducitur. Hæc, scilicet applicatio itidem tergemina est (1) introducitur Ecclesia ipsa hæc sibi applicans v. 9. 10. 11, quæ Messias confirmat, v. 12. 16, (2) afflictioni Ecclesiae colligendæ ex Phariseorum heterodoxia impendenti opponitur solatium à potentia & redemptione Domini desumptum, v. 21, 22, 23. (3) commemorantur beneficia, quibus Ecclesia erigatur c. 52, quæque ad duo genera referri possunt, in priori est durissimi jugi pharisaici excusio v. 16 in posteriori suavissimi jugi Christi susceptio, à v. 6 10, quæ fiet per prædicationem Evangelii futuram (a) immediate per ipsum Messiam strenue prophetico suo officio fungentem, (b) mediate per Apostolos v. 7. sq. Agitur ergo in dicto nostro de mediate per Apostolos

A 2

futura

futura Evangelii tempore N. T. prædicatione, qua jugum Christi suavissimum suscipiendum.

§. 2. Logica resolutio, sequentes ut evolvantur circumstantiæ, requirit, (1) cause prædicationis ministeriales, (2) subjectum, (3) objectum, (4) prædicationis actus, cum modo conjungendus, (5) effectus, (6) tempus.

§. 3. Præcones indicantur per מְבַשֵּׂרֵי רַגְלֵי pedes Evangelizantis, ubi pedes συνεχδοχικῶς ponuntur, iisque adscribitur, quod homo peragit, similia exempla reperiuntur Pl. 119, 105, Prov. 6, 18, Rom. 3, 15. Alii, uti Drusius in Nahum c. 1. v. 15, per pedes intelligunt adventum metonymicè, quia mediantibus pedibus Apostoli accedebant: potuisset enim Propheta (sunt verba Drusii) simpliciter ponere vocabulum nuncius, sed elegit pedes nuncii, ut adventum significaret, verum annon metonymicè posset prædicatione innui hoc sensu: quam pulchra est prædicatione Evangelizantis? aliis dijudicandum relinquimus. Nihilominus certum est non sine ratione & emphasi vocabulum hoc esse adhibitum. Nonnulli, quod in Anglicis annotationibus videre licet, ita interpretantur: quia nihil minus decorum in viatore pedestri quam pedes, ut significetur totos illos esse speciosos, q. d. ut ut pedes eorum pulvere lutoq; conspersi sint, amabiles tamen sunt. B. Glassius in Rhetorica sacra tr. 1. c. 12. p. m. 350. μετὰ φθορῶν de interiori & divina tum missione, tum παρρησίᾳ ac fervore, sancto desiderio & conatu in docendo, sicuti pedibus abitio demandata propero cursu perficitur, Nah. 2. 1, accipit, locoque dicto addit, quosdam hac voce humilitatem apostolicæ legationis denotare, quos inter est Osiander in Commentar. in h. l. pedestres legatos Apostolos vocans, ut adeo vocabulum pedes loco adjectivi sit positum, quemadmodum apud Hebræos duo substantiva in statu regiminis posita modo prius, modo posterius loco adjectivi est, quandoque etiam utrumvis pro adjectivo commode accipi potest, vid. B. Glass. Philol. sacr. 1. 3. tr. 1. can. 8. p. m. 28. addo, vocem pedes adhiberi, ut significetur, per homines, non per angelos prædicationem futuram esse. Voci רַגְלֵי adjungitur vocabulum מְבַשֵּׂרֵי, evangelizantis, pro quo LXX. ut plurimum ἐὐαγγελίζουσαι habent. Vatablus: annunciantis, publicantis.

tis. Hebraicum est כשר, de quo quædam ratione derivationis
 & significationis notanda veniunt. *Ratione derivationis* animadver-
 tendum, nonnullos verbum כשר à כשר carne derivare, alios
 non. Inter hos sunt Schindlerus in Lexico Pentaglotto dicens:
 כשר tria habet significata (1) in Piel כשר nunciavit rem bo-
 nam & lætam, (2) כשר caro, (3) Arab. rasit, ex libro erasit,
 Buxtorffius in concord. Hebraic. inquit: *duo ejus significata* (1) an-
 nunciare (2) caro, alique. De illorum sententia Leight in critica
 sua sub כשר hæc affert, *Græco ἐναγγελίζειν respondet, quod à quibus-*
dam deducitur, à nomine basar carnem significante qs. sit carne a. e. svavia &
mollia annunciare, idem habet Försterus in Lexico, quæ quidem
 derivatio non est improbanda, utpote qua ad incarnationem Fi-
 llii Dei respicitur, hinc modo laudatus Leight sub vocab. Basar
 lit. o. hæc adducit verba: *Hoc vocabulum, quod Hebraice pro carne su-*
mitur (in Piel bishet) significat bona nova, lætum nuncium, evangelium, uti nos
id vocamus, ad indigitandum certam aliquam carnis assumptionem, seu incarna-
tionem fore aliq. generale aliquod lætum nuncium in universo mundo, conf.
 B. Scherzer, System, Defin. Theol. in loco de Christo §. 22. p. m.
 214. uti autem in derivandi ratione autorum deprehenditur di-
 versitas: ita & in significationis assumptione. Mercerus, Förste-
 rus, Schindlerus & verbum & nomen non ns. in bonam partem ex-
 cepto unico illo loco 1. Sam. 4. v. 7. licet etiam sic salvari juxta
 Mercerus & Försterum possit, quod etsi patri fuerit triste de
 filiorum interitu nuncium, tamen populo & Ecclesiæ Dei bonum
 & lætum, quod liberatus fuerit à tam sceleratis sacerdotibus, usur-
 pari putant, quibus Mercerus addit, *specialia verba interdum generali-*
ter sumi, ut in כשר. Contra alii, inter quos est B. Gejerus, כשר
significare nunciare rem novam & antea ignotam, sive lætam, si-
ve tristem, arbitrantur, nonnullaque loca, in quibus verbum
tristem nuncium significet, adducunt. Quilibet suo abundet
sensu, interim, verbum in nostro loco in bonam partem ac-
cipi, ex Textu patet. Quæstio jam restat an כשר participiali-
ter, an nominaliter sit accipiendum? Utramque acceptionem
apud interpretes invenimus; Nominalem eligunt B. Lutherus,
Tarnovius, Tigurina versio, Drusius, qui in Nah. 1. v. 15, dicit:
כשר

מְבַשֵּׂר h. l. nominascit, ut aliàs fere fit cum participium abso-
 lute ponitur, ut hoc modo idem fit ac Evangelista, sumto voca-
 bulo non quidem sensu specialiori pro quatuor Evangelistis hi-
 storiam Evangelicam literis consignantibus, quod Jesuitarum est
 commentum, sed generaliori pro eo, qui Evangelium prædicat,
 2. Tim. 4. 5, primarioque h. l. ad Apostolos respiciente, de quo
 mox; neque inusitatum est, participia sæpius in nomina degene-
 rare, id quod probatum dedit B. Glass. l. c. tr. 4. can. 2. p. m.
 409, uti Schindler. in Lexic. & Buxtorff. in Lexic. Chald. Rabbin.
 מְבַשֵּׂר inter nomina referunt. Illam nim: participialem amant
 B. Sebastian Schmidius aliique, qui in allegatione versionum su-
 pra videri poterunt, pro qua acceptione militare videntur non
 tantum reliqua participia, sed & acceptio *συνεχδοχική* vocis
 מְבַשֵּׂר pro homine, - ut sit homo Evangelizans i. e. Evangelista,
 quod melius quadraret quam homo Evangelista, utraque sen-
 tentia stare potest, interim nominalis significatio mihi videtur
 commodior (a) ob *famosiorem vocabuli מְבַשֵּׂר significatum*, quo bo-
 num sive lætum nuncium, præconem rei lætæ significat, & no-
 minascit, vid. Jes. 41. 27. Jerusalem מְבַשֵּׂר nuncium dabo, Luth.
 gebe Jerusalem Prediger / (β) ob *vocabuli in sequentibus repetitionem*,
 ex qua colligitur, prius nominaliter esse vertendum, & reliqua
 participia dicere, quid & qui bonus ille nuncius annunciare de-
 beat, h. s. *quam amabiles sunt pedes Evangelistæ, læti nuncii, præconis, qui
 pacem publicat &c. meliori & commodiori sensu, quam participia-
 li: hominis Evangelizantis, audire facientis, evangelizantis, &c.* (γ) quia
 sic *ἐμψαλνωτέρον*, per quos Deus Evangelium prædicari velit, ex-
 primitur hoc sensu: *præco, qui omnino homo.* Accedit Hieronymi
 testimonium Evangelistam interpretantis, cui libet interea relin-
 quo, quamnam sententiam amplecti velit, neutra enim absurdum
 quid involvit & res tandem eodem recidit, nim: innui Aposto-
 lum. Sunt ergo pedes Evangelistæ idem ac homo Evangelista, præ-
 co, quales appositiones apud Hebr. occurrunt, vid. B. Glass. l. c.
 tr. 1. c. 4. p. m. 13. & 15. Dum verò verba pacis, boni, salutis,
 it. Deus tuus regnabit ponuntur, innuitur præco proprie non
Mosaicæ Legis, sed Evangelii, sed nova inde oritur quæstio, de quo-
 nam

nam Evangelista, sive præcone Evangelii sermo sit; non de *Propheta V. T.* nam de illo tempore, quo ipse Messias in carne prædicaturus, sermo instituitur; neque hinc de *Jeremia*, in qua sententia est Grotius, ac si diceretur: quam amabile erit ministerium *Jeremiæ*, qui definiet ipsum tempus, quo *Zion* rursus habitata florebit, verum nullum h. l. *Jeremiæ* indicium, de eo nec vola nec vestigium est in textu, nec (2) *Jeremias* tam gratus erat *Judæis*, nec tam lætum ipsis nuncium de liberatione post 70. demum annos ex horrenda illa captivitate, (3) adde ipsorum *Judæorum* testimonium caput hoc de liberatione non corporali, sed spirituali in *N. T.* per Messiam futura intelligentium, (4) singula etiam verba non corporalem sed spirituales liberationem ostendunt; neque de *Messia* hoc capite loquente: nam v. 6. Messias seipsum esse prædicaturum & prophetico officio functurum asserens hoc ipso se opponit Apostolis suis, quibus mediantebus ulterius Evangelium publicaturus esset. Adeoque duplex prædicatio futura *immediata* per ipsum Messiam, & *mediata* per Apostolos, adeo ut hoc modo v. 7. ad Christum non quadret. Deinde v. 7. coll. 8. de prædicatione per totum orbem dicitur, at hæc non per Christum, sed ex ipsius mandato per Apostolos facta; neque *primario de omnibus & singulis omni tempore in N. T. Ecclesiæ doctoribus*, quamvis ex h. l. omnium fidelium Ecclesiæ ministrorum officium erui possit, sed de *Apostolis*, id quod patet (1) ex *contextu*, in quo de Ecclesia in *N. T.* plantanda agitur, vaticinaturque Christus à v. 1-6. *Judæos* jugum pharisaicum esse excusuros, (2) ex *præconio per totum orbem futuro*, quod ab Apostolis suscipiendum, iisque proprium, prædicatio enim successorum ad certum locum restricta. (3) ex *Pauli in Epist. ad Rom. 10. 16. expositione*, hinc *Balduinus in Comment. in locum apostolicum refert: Eos nominat pedes Evangelizantium respiciens ad emissionem Apostolorum in univ. mundum, non enim uno in loco consistebant, sed ut nuncii Dei missi in orbem terrarum passim ubiq; auditi & magna cum celeritate terram mariq; pervagati sunt, quod & paulo infra attingit Apostolus. Nemini autem mirum videatur, quod singularis sit positus, singulari enim pro plurali, quem B. Lutherus cum Paulo adhibuit, posito elegantè*

ganter totus Apostolorum chorus significatur, sicuti singularis numeri vocibus scriptura sacra collectam multitudinem vel totam etiam speciem exprimit, vid. B. Glass. l. c. tr. i. Can. 22. p. m. 84. i. e. *quilibet Apostolorum.*

§. 4. *Subiectum*, cui Evangelium prædicetur, desumunt alii ex verbis *super montes*, ut hoc modo particula ^ל Dativum noter, vide Nold. Concordant. particul. Hebraic. in ^ל, perque eos vel terram judaicam, vel Hierosolymam montibus circumdatam & metonymicè habitatores sive Ecclesiam per urbem hanc præsentatam intelligunt, enimvero §. 7. quid per montes innuatur, universalis scil. Evangelii per totum orbem sonus, ita ut ejusdem concio ex Zione exitura per universum mundum sit propaganda, dicetur. Hinc subiecti loco ab aliis assumitur Zion ^{ציון} i. e. Ecclesiae, Chald. *cæui congregato* sive congregationi Zionis. Per ^{ציון} quidam intellectum volunt locum, ubi prædicatio futura, sed melius in Dativo cum plurimis redditur, ut ita subiectum, cui prædicetur, exponatur. Zion tumultum sonat, duoque habebat juga, in quorum uno sedes regia erat 2. Sam. 5. 9, 1. Reg. 8. 1, inque contiguo altero diæo Morija Jes. 31. 4, templum sanctum, in quo veræ religionis ministerium, proindeque cohærebant in Zion tum dignitas regia, tum sacerdotalis, inde etiam factum, ut sæpissime mons Zion regnum Christi atque veram in N. T. Ecclesiam significet, non quod particularis adeo angustisque limitibus sit futura, sed quia Zion eam multis nominibus præfiguravit tum ratione excellentiæ, quia in toto terrarum orbe nullus uspiam mons extitit simili cum Zione felicitate gaudens, tum inexpugnabilitatis, tum quia ex Zion proditura erat concio Evangelii in universum orbem, Jer. 2. 34. Luc. 24. 47. Itaque subiectum h. l. est Ecclesia tempore N. T. non tantum è semine Israelis in summa afflictione constituto, verum etiam gentium turba, quia universalis prædicatio, colligenda, ita tamen, ut concio Evangelii Hierosolymis prodeat & exinde per totum orbem sese diffundat. Objiceret quis, per Zionem h. l. in tantum Ecclesiam intelligi, in quantum ex judæis, non gentibus colligenda, quia soli judæi consolatione erigerentur,
at vero

at vero resp. (a) significationem vocabuli Zionis pro Ecclesia tempore N. T. ex judæis & gentibus colligenda non esse inusitatam, sed admodum vulgarem (b) contextum ostendere, gentes non excludi (c) id præcones ut & materiam prædicationis asseverare. Adducta ratio gentes non excludit, sed nostram mentem eo magis firmat, nam quia etiam gentiles ad Ecclesiam colligendi, adeoque universalis foret vocatio, E. firmiori solatio judæi erigi deberent.

§. 5. *Objectum est vel reale, vel personale. Reale per tria hæc nomina, pax, bonum, salus, constituitur, bene Forerius in h. l. tria sunt nomina, quibus ea significantur, quæ Evangelii prædicatio complectitur. His autem universa felicitas continetur.* ☞ *pax ab integritate & perfectione dicitur, quia omnia in pristinum statum restituit, & in eo servat integra, unde hac voce utuntur in salutationibus bene precantes, Gen. 43, 23. 1. Reg. 4, 24. 2. Reg. 9, 22. estque vel corporalis omnia vitæ bona, commoda & felicitatem temporalem secum trahens, nam pax optima rerum, quas homini novisse datum, Gen. 43, 27. 2. Reg. 4, 26. vel spiritualis, vel æterna. H. l. spiritualis præcipue denotatur morte Christi & merito suo sufficientissimo nobis parta, quam æterna certo sequitur, estque iterum duplex vel cum vel in Deo; Illa est ea animæ quies, qua homini in vera pœnitentia cum Deo reconciliato Deus ut benignus & gratosus pater est, & ipse filius Deo gratus & acceptus, ita ut sicuti antea dissidentes jam reconciliati sint, inde pax Eph. 2, v. 14. dicitur duorum inter se dissidentium redintegratio & reconciliatio; Hæc, nim: pax in Deo, ex impetrata cum Deo pace oritur, qua homo firmiter & tuto pervalus est, fore ut à Deo sibi reconciliato omni gratia cumuletur & amore, nullumque sibi animæ periculum timendum, quapropter omnia, quæ forsan immittantur, placido & magno fert animo, Ps. 4, 9. Et uti paci opponitur bellum, dissidium, perturbatio, confusio, seditio, ita pax spiritualis hæc omnia aufert, & omnimodam affert tranquillitatem. Ex quibus quidem satis conspicitur, pacem spiritualem omnia bona adeoque etiam vitam secum trahere æternam: Qui enim cum Deo reconciliatus est, peccatorum habet remissionem, ubi au-*

B

tem

tem hæc, ibi vita & salus æterna, & ita unum vocabulum adduxisse suffecisse: unum enim ex altero sequitur. Ex pace salus, bona quæque, attamen ad bonorum multitudinem, magnitudinem, copiam, excellentiam denotandam & eò evidentius bonum, quod offerri & annunciari deberet, ante oculos ponendum, Messias speciatim boni & salutis mentionem injicit. **וְשׁוּבָה** in singulari emphatice dicitur i. e. omne quodcunque nomine veri boni spiritualis & æterni veniat, & certè hoc singulari plus, quam plurali indicatur, similia exempla vid. Joh. 1, 29. Ps. 9. 6. Osiander in Commentar. in h. l. dicit: *Annunciantis hoc summum bonum (quod Deus per mortem unigeniti Filii sui reconcilietur omnibus in Filium credentibus)* & sic bonum ad pacem cum Deo refert, sed nobis haud contrariatur, hanc pacem cum Deo omnium ceterorum bonorum fundamentum esse & nos impetrata hac pace à Deo tq. patre benignissimo omnia consequi valere, audivimus. E. est summum bonum. Paulus in loco parallelo pluralem **τὰ ἀγαθὰ** usurpat bona quæcunque, omnis generis non caduca, sed cœlestia & æterna, Dei misericordia in Christi merito fundata, **ἡ ἄφεσις**, peccatorum remissio, justificatio, vivificatio, spiritus S. donatio, æterna glorificatio. **יְשׁוּעָה** salus, opitulatio, servatio, omnimoda salvatio & liberatio, est n. à **יָשַׁע** in Hiph. **יָשַׁע** salvavit, salvum fecit, servavit, saluti, auxilio fuit, cui consonat Chaldaic: **פְּרִיקָא** redemptio, liberatio, salus, auxilium, à **פָּרַק** redimere, vindicare, liberare, servare, eripere, habetque vox Hebr. usum largissimum & dicitur de omnis generis salvatione, auxilio & liberatione, veluti liberare & defendere ab injuria Exod. 2. 17, 2. Reg. 6, 26. 27. eripere ex omni adversitate Ps. 34, 7. uti à morbo Matth. 9, 21. Marc. 6, v. 56. à submersione Matth. 8, 25. à naufragio Act. 27, 31. è manu inimicorum Ps. 18, 4. Jud. 5. à peccato Matth. 1. 21. à morte Marth. 27. 40. ab ira Rom. 5, 9. ideo vocabulum **יְשׁוּעָה** est vocab. **ἐμψαλίωσις**, omnino exprimens omnimodam salvationem & liberationem ab omnibus spiritualibus morbis, peccatis, hostibus, satana, mundo, carne nostra, morte temporali & æterna, ira divina, adeo ut hac voce priores explicentur hunc.

huncque in finem non frustra sed cum singulari emphasi ad magis, magisque demonstrandum bonum, quod prædicandum, conjunctim allatae sint.

§. 6. *Objectum personale* continetur his verbis: **אלהים מלך** regnavit Deus tuus, Luth. nominaliter interpretatur: **Dein Gott ist König** / Christus regalem suam potestatem in hostium devictione & suorum liberatione ostendit, non Moses cum ceremoniis suis, non diabolus, non peccatum, non mors, non infernus, quæ omnia magnam ante Messiae adventum obtinebant potestatem, non rex aut judex terrenus, quales populus Israeliticus habuit, sed Deus tuus in carne patefactus, juxta Chald. jam manifestatum est regnum Dei tui, Christus verus Deus & homo regnavit, i. e. certo regnabit, præteritum more Prophetarum pro futuro, vel secundum alios pro præsentem, i. e. jam regnare cœpit, regnat & regnabit, regno potentiae, gratiae & gloriae, qui destructa passione & resurrectione sua potestate & regno diaboli æternum sibi paravit regnum, autor salutis nostræ, *Forerius: regnavit Deus tuus, hinc pax, hinc bonum, hinc salus, imò hoc est omne bonum, quod transire fecit Dominus coram Mose.* Videtur a. respici h. l. ad historiam illam, in qua recensetur, quod, cum olim Israelitæ regem petissent, dixerat Deus, quod ipsum abjecissent, ne super eos regnaret, nam hæcenus per duces & ministros suos gubernaverat, quam curam ob ingratitude ab eis auferendam significabat, jam Evangelium hanc gratiam restitutam esse prædicat: Iterum Deus tuus Messias regnat. En scopum totius Evangelii, Christus rex noster cum omnibus suis beneficiis nobis partis!

§. 7. *Actus cum modo conjungendus.* **וְהוֹרֵא** est promulgare, publicare, clara & intelligibili voce loqui, quò audiri queat, personare, ut undiqve sonus audiatur. De voce **וְהוֹרֵא** supra §. 3. dictum. **וְהוֹרֵא** est prædicare ita ut veritas asseratur & errores refutentur, notum facere. Sit itaqve prædicatio non tam *realis*, qualis fuit Christi in descensu ad inferos, quo damnatis sese mortis & inferni triumphatorem ostendit, sed *clara distincta & intelligibili voce suscipienda, perspicua*, quò Apostoli ab omni-

bus intelligi queant, non enim musitabunt, ut *ἔγγασεν ἰουδαίους*,
 aut vates Ethnicorum è spelæis suis; nec susurrabunt, vel in an-
 gulis domorum, vel in latebris sylvarum ac montium, cum pau-
 cis arbitris, ut facere solent seditiosi aliiqve, qvi vel instituti
 fœditate, vel sceleris immanitate lucem fugiunt, quam prædi-
 cationem omnia tria verba, eorumqve commutatio innuunt;
 deinde *magna cum celeritate*, ut mox incredibili ratione longe late-
 que innotescat, *summo & incessanti studio diligentia & Zelo sine mora per-
 agenda*, id quod ex verbis sine conjunctione positis, & duorum
 verborum repetitione clarescit, q. d. nullum tempus, nullam
 negligent apostoli occasionem, quocunqve modo prædicatio
 fieri poterit, eoqve tendit vocabulum *pedes*, vid. §. 3. & phra-
 sis v. 8. *magnocum iubilo vocem elevaturi*, i. e. nunquam otiosi, sed
 semper operosi, in motione & operatione constituti; talis Ze-
 lus, quo nullum periculum, nullam difficultatem, nullam aspe-
 ritatem, nullam calamitatem verebuntur, quò quidam voces
super montes explicant (sed mox, quid nobis videatur, dicetur)
 neque ut quicquam ipsos impediatur, patientur (3) *publica, alta vo-
 ce in excellenti gradu*, ut per totam terram audiatur, quod confir-
 mat tum phrasin *super montes*, tum phrasin v. sequ. *attollent vocem*,
 tam alte ut undique vox percipiatur. *Super montes* alii exponunt
de loco, ubi prædicatio futura, ut *לע* idem sit ac *in*, forsan Chal-
 daica paraphrasin moti, juxta quam est: *Super montibus terra Israe-
 lis in montibus* i. e. judæa, vel Hierosolymis; nonnulli intelli-
 gunt *subjectum*, cui prædicandum, veluti §. 4. monuimus, ita ut
per montes Jerusalem & per hanc Ecclesia indigiretur, adeoque
לע in Dativo sit reddendum h. e. montibus, Jerusalem sive Ec-
 clesie per eam præfiguratae, quo collimant Vinarienses. Neu-
 tram sententiam absurditatis accusare possumus, nihilominus
 cum iis sentire malumus, qui modum per hanc phrasin expri-
 mi dicunt, scilicet quo edicta ab omnibus longe lateque perci-
 pi possint, ideo in edito loco publicantur, nam vox in eo pro-
 lata longe lateque dispergitur, ita prædicatio super montes fu-
 tura in publico, ut nemini occultum sit tantum redemptionis opus,
 sed omnium oculis expositum, adeoque prædicatio universalis,
 uni-

universalitate locorum & personarum, quam manifestat materia prædicanda, (4) *legitima missione aggredienda*, quod ex vocibus pedum & nuncii colligitur, hinc Apostolus ad Rom. 10. 15, ex h. l. legitimam ministrorum Ecclesiæ vocationem & legationem probat. Pedes non ambulant, nisi ab initio demandatur; Nuncius iter non instituit, nisi mandatum ad illud suscipiendum accipit, & hanc missionem factam videmus in N. T. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. (5) *certo futura*, loquitur enim propheta Spiritu prophetico de re futura ut præsentia & præterita, certitudinis, vehementiæ & efficaciam causa, ita ut quædam dicantur impleta, quæ tamen revera implenda, (6) *salutaris præclara & eminens*, id quod manifestum ex phrasi *super montes*, materia prædicanda & verbis, quibus prædicatio describitur.

§. 3. *Effectus* erit lætitia ex parte præconum & eorum, quibus prædicatio fiet, oriunda, & per vocabulum וְנִינְדָּה indigitata, quod varie variè interpretantur, quam speciosi, decori, ornati, elegantes, decentes, amœni, pulcri, amabiles grati, B. Schmi- dius in h. l. *potius jucundi*, ab effectu, quod ubi accedentes quis videat evangelizantes, causam lætandi habeat maximam & pii etiam maximopere lætentur, sic Apostoli etiam incredibilem inde perceperunt lætitiã, quod videre licet in LXX, à Christo missis & reducibus Luc. 10. 17. & v. 21, in Christo, nam res prædicanda non poterat non summum excitare gaudium. Försterus in Lexico: *verbum וְנִינְדָּה est defectivum & irregulare, nec multum significatione ablu- dit à verbo וְנִינְדָּה desiderare, expetere, hinc sive a וְנִינְדָּה sive וְנִינְדָּה derive- tur, utrinque lætitia & jucunditas infertur, nam quod desideramus, gratum & jucundum nobis est. Particula וְנִינְדָּה interrogatoria exaggerandi & admirandi vocula est, vid. Num. 24. 5. Cant. 5. 9. c. 7. 2. 2. Sam. 6. 20. Eccl. 11. 2. innuitque summam lætitiã, quam non satis admirari possumus, quamque Nahum l. c. instituta inter lætitiã ex liberatione ab immanissimo tyranno & liberatione à spiritualibus hostibus, comparatione, vid. Osiand. & Tarnov, in Nahum. c. 1. v. 25. perspectam dat, & à minus ad magis ita colligit: si lætus de interitu hostis Sennache- ribi est nuncius, quanto erit lætior Evangelii de Christo nunci-*

us, & de diaboli reliquorumque infernalium & spiritualium inimicorum subjectione per Christum parata. Omnia lætitiæ excitabunt, modus prædicandi, præcones; res prædicanda.

§. 9. *Tempus est N. T.* Totum enim caput ad Ecclesiam novi Testamenti pertinet. Kimchius de liberatione per Messiam exponit, & Abben-Esra in h. l. omnes, inquit, interpretes (judæi) consentiunt in hanc sententiam, quod hæc prophetia adhuc futura sit, h. e. ad tempora Messie spectet.

Sectio II. Dogmatica.

§. 1.

Explicato dicto doctrinam inde fluentem de Evangelio tractandam habemus, quæ tractatio secundum *ὀνοματολογίαν* & *πράγματολογίαν* erit instituenda.

§. 2. *ὀνοματολογία* sistit (α) *Etymologiam*. Evangelium est nomen Græcum ab *εὐ* & *αγγέλω*, adeoque vi vocis idem ac bonum & lætum nuncium. (β) *Homonymiam*. Sumitur vel *improprie* vel *proprie*. *Improprie* pro Evangelii diebus festis & dominicalibus exponendis s. historicis Evangelistarum scriptis, quibus nativitatem, vitam, doctrinam, miracula passionem & resurrectionem Christi exponunt; *Proprie*, uti h. l., accipitur vel *generaliter* pro toto N. T. ministerio, quod non solum doctrinam gratiæ, sed & legis complectitur, Marc. i. v. 14. & c. 16, 15. vel *specialiter* pro concione gratiæ, sive ea in N. five in V. T. habeatur, ut Es. 40. 9. in loco nostrate, vel *specialissime* pro concione gratiæ de Messia jam exhibito, Marc. i. v. 1. H. l. sermo est de speciali acceptione. (γ) *Synonymiam*. Vocatur verbum Dei, Evangelium Christi, mysterium Christi &c.

§. 3. *Πράγματολογία* complectitur (a) *existentiam*, quæ ex textu nostro clara, (b) *Causas* puta efficientem, materialem, formalem & finalem. *Causa efficiens principalis* tum ratione originis & decreti de mittenda in carnem secunda persona Triados ab æterno in divino concilio facti, tum ratione patefactionis &

com-

complementi tota SS. Trinitas. Deus Pater enim per Filium in Spiritu S. Evangelium manifestavit, *Impulsiva interna* est immensa Dei misericordia; *Externa* miseria nostra, & meritoria Filii Dei intercessio, unde Evangelium recte dicitur latissima concio gratiæ mere gratiæ, ex mera gratia & misericordia Dei propter Christum Mediatorem proveniens.

§. 4. *Causa ministeriales* revelati Evangelii sunt in V. T. *Prophetae & Sacerdotes*, idemq; *Patriarcha & alii sancti Dei viri*, Ebr. I, 1. Act. 10. 43. In N. T. *Apostoli & Evangelista aliiq; Doctores* ad id vocati Marc. 16. 15. Eph. 4. 11. associantur *Angeli boni*, quæquam non ut ordinariè prædicantes & Symmystæ, sed ut legati Dei læta annunciantes, Luc. 1, 11. sqq. c. 2. 10. Non *angeli mali* à testando cohibiti Marc. 1. 24. Act. 16. 7. *Contra* quosdam Scholasticos, qui vel angelos bonos inter causas principales, Thom. 1. q. c. 11. a. 4. vel qui malos ad ministeriales volunt relatos.

§. 5 *Causa organica*, sive *ἑργον ἀνληπτικόν* Evangelicarum promissionum est fides. Hæc duplicem ad Evangelium habet respectum (a) *effectus*; Per vocem enim Evangelii fides in cordibus hominum accenditur, Rom. 10, 17. 2. Cor. 4. 6. (b) *organum*, siquidem bona in Evangelio oblata per fidem apprehendimus & nobis applicamus, Joh. 3, 16.

§. 6. *Materia in qua*, sive *subjectum*, cui prædicanda & offerenda gratia Evangelica sunt omnes homines, quam universalitatem B. Scherz. in System. Defin. Theol. probat ex universalitate principii universalis misericordiæ Dei Patris, Joh. 3. 16. universalis meriti Christi, universalis officii Spiritus S. Joh. 16. 8. 9. 10. *Subjectorum*, in Ecclesia Paradisiaca per protevangelium Gen. 3, 15. post diluvium Gen. 9. in Ecclesia N. T. plantanda, Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Col. 1. 23. Act. 17. 17. 30. Rom. 10, 18. Ps. 19. 5. *temporis*, 1. Tim. 2. 4. *loci, obligationis* Joh. 3, 18. 36. *Contra* Calvinum, etiam hypotheticos, Amyraldum, Dallæum, Bergium & alios, qui gratiam Dei universalem pronunciant sub hypothese, *si omnes credant*, quod autem non omnes credant, esse ex absoluto decreto Dei, absolute nolentis omnibus dare fidem, quod falsum esse ipsimet agnoscunt è Calvinum, alii, & hinc contra Amyraldum disputant Spanhemius & Molinæ-

us

us, contra Dallæum, Mareſius. Ex noſtris Hulſemannus has tenen-
das tradit hypotheſes, (1.) quod aliqu. evangelium ubiqv. prædi-
catum ſit. Et (2.) quod nulli populo niſi propter propriam con-
tamacia culpam ſubtracta ſit prædicatio.

§. 7. *Materia circa quam, objectum vel personale vel reale*; illud Chri-
ſtus; hoc Chriſti meritum & parta inde beneficia, uti ex loco noſtro con-
ſtat; beneficia Chriſti alia *privativa*, quibus malum tollitur, utpote
(1.) peccatum Ef. 53, 6. Joh. 1. 29, 36, 2. Cor. 5, 21. (2.) pœna, Ef. 43,
24, c. 52, 5. Pf. 69, 1. (3.) *maledictio legis*, implendo legem active
Matth. 5, 17. & paſſive Hal. 3, 13. & (4.) liberatio à regno & cap-
tivitate Satanæ Coloff. 1, 135. alia *poſitiva* vocantur, quibus bonum
confertur, utpote (a) *reconciliatio*, ex dicto noſtrate, vid. ſupra §. 5.
coll. 2. Cor. 5, 18. Coloff. 1, 19. (b) *adoptio*, Joh. 1, 12. Eph. 1, 5. (c)
Spiritus S. donatio Gal. 4, 6. Joh. 7, 38. Sq. (d) *vita æterna poſſeſſio* Rom. 5, 21.

§. 8. *Forma* ſunt promiſſiones gratiæ de reconciliatione cum Deo, remiſ-
ſione peccatorum, juſtitia coram Deo & ſalute mete gratuitæ nullo operum me-
rito limitatæ, ad fidem ordinatæ, non conditionatæ noſtram obedientiam, ſive
perfectam, ſive imperfectam, ad ſalutem requirentes, Rom. 3, 24. c. 4, 13, 14,
16. Gal. 3, 18. Joh. 3, 16. Marc. 16, 16, Act. 10, 43, Rom. 10, 9, 10. Notan-
dum (1) gratuitas dici promiſſiones Evangelicas, non *reſpectu Chriſti*, cui carè
conſtituerunt beneficia per Evangelium oblata, Matth. 20, 28. 1. Cor. 6, 10, 1.
Petr. 1, 19. ſed *reſpectu noſtri*, quippe nullum meritum noſtrum intercedit, Ef. 52,
3. c. 63, 2, 3. deinde eas conditionatas eſſe negari non *excluſa conditione medi-
& ὑλητικῆ*, ſed *conditione meriti ſeu operum ex parte noſtra*, quamvis fides ma-
gis organon apprehenſionis & medium *πρῆξως* divinæ quam conditio dicatur;
(3) dici gratuitas non ita ut abſolvant hominem ab omni bonorum operum ſtudio,
ſed ideo, quia promittunt gratiam non propter illam noſtram dignitatem aut diſpo-
ſitionem in nobis, nec propter ullum noſtrum opus ſ. meritum, ſed per & propter
Chriſtum fide apprehenſum.

§. 9. *Finis* Evangelii eſt vel *ul timus*, vel *intermedius*; ultimus eſt vel *abſolute*
talis Dei gloria 2 Cor. 4, 5. vel *ſecundum quid*, eſt ſalus & vita æterna, 1. Petr. 1,
7. 9. Intermedius ſunt beneficia ſpiritualia.

§. 10. (c) *Adiuncta* nim. (1.) *tempus pateſactionis*: cœpit Evangelii ma-
niſeſtatio ſtatim poſt lapſum. (2.) *differentia legis & Evangelii*, quam
vide in Compend. Hutteri. Tantum.

Soli Deo gloria!



371
371 5449

ULB Halle 3
007 375 476



VDM







23

Orthodoxa
EXPLICATIO
v. 7. Cap. LII. Efaiaë
una
cum brevisfima Doctrinæ
DE
EVANGELIO
INDEFLUENTIS
DEDUCTIONE

In
Gymnasio Saxo-Hennebergiaco Schleufin-
genfi ad diem XVII. Martii M. DC. XCVII.

horis locoq; consuetis
publice ventilanda
subjicitur



PRÆSIDE
Friedrich Ernst Meis/ Pastore,
Superint. & Gymnasii Ephoro

RESPONDENTE
JOHANNE SALOMONE WEBERO, Virnaviensi
Communitatis Alumno.

Ex Chalcographæo GÖBELL.

1804

